

305. *Dico II.* Probabilius est, *Eusebium Cæsareensem*, etiam post Concilium Nic. fuisse Ariana hæresi infectum.

*Prob.* Quem scripta et facta propria, necnon aliena testimonia arguant Ariana hæresis, ea infectus esse recte censemur: sed scripta et facta *Eusebii*, etiam post Nicaenum Concilium, necnon relata ad illud tempus testimonia talem esse *Eusebium* arguunt; ergo.

*Prob. min. p. 1<sup>a</sup>.* *Eusebius* etiam in scriptis post Concilium Nic. Filium, qua Verbum, dicit a Patre natura diversum, inferiorem et illi serycientem, non coexistentem Patri, nec verum Deum, ut patet ex L. 1. contra Marcellum c. 1. p. 8., ubi conferens verba Apostoli ad Galat. 3. 19. et 20., ac 1. ad Tim. 2. 5. ait: *Erat igitur Filius, priusquam fieret Dei mediator et hominum, mediator Dei et angelorum..... Non est ergo existimandum, hunc esse Deum illum, qui est supra omnia Deus, nedom de numero angelorum aliquem, sed medium utrorumque et mediatores.* L. 2. de Eccles. Theolog. c. 7.: *Quamobrem et ipse Filius Deum suum docet Patrem suum, in quibus ait: Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum: Deus certe et Pater ipsius quoque Filii Deus esse docetur. Quocirca... honorat, adorat et veneratur suum Patrem, Deum eum et ipsius Deum inscribens; cui gratias agere, cui preces fundere dicitur, cui obediens usque ad mortem fuerat.* L. 1. Histor. Eccl. c. 2. narrat Moysi ad stipulatum fuisse etiam alium prophetam, in hymnis suis de Deo loquentem hoc modo: *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Patrem quidem et creatorum inducentem tanquam rerum omnium Dominum, regio motu præcipientem: Verbum autem Dei, secundum a Patre..... paternis imperiis ministrantem.* In epist. ad Euphrationem: *Porro ipse Filius Dei hæc nobis omnibus exactius cognoscens, alterum se ipsum, et minorem a Patre, subjectumque cognoscens, admodum pie nos id docet, dicens: Pater, qui misit me, major est me;..... quoniam Filius et ipse quidem Deus, sed non verus Deus.* (Labb. t. 7. p. 498.) Hæc autem vel non possunt exponi sensu Catholico, vel *Eusebii* conditio non meretur, ut mitigata accipiantur; ergo.

*Prob. p. 2<sup>a</sup>.* *Eusebius* simulato subscripsit Fidei Nicaenæ, suppressit ejus professionem, insectatus est illius defensores, juvit e contrario ejus adversarios et Hæreticos. *Simulatio* quidem patet ex *Eusebii* epistola ad suos Cæsareenses (ad calcem L. de decr. Nic. Syn. S. Athan. opp. t. 1.), qua sensum suæ subscriptionis exponit. In ea enim profitetur (n. 7.); de Filio admissas a se esse voces, *ex substantia Patris, et consubstantialis Patri;* quatenus Filius ex Patre quidem est, non autem portio Patris, aut sectione vel mutatione divine naturæ productus; item (n. 6.) has, *Genitum, non factum;* quatenus *to factus* creaturis cæteris proprium erat, quæ dicebantur per Filium fieri. Præterea reprobat (n. 9.) hunc de Filio sensum: *non erat antequam gigneretur, ex ea solum ratione, quod omnes fateantur Filium Dei fuisse priusquam secundum carnem gigneretur.* Tandem (n. 10.) pro æternitate Verbi nihil dicit, nisi *quod Christus sit Filius Dei ante omnia secula,* more Arianorum, intelligendo duntaxat *ante omnes creaturas,* in quarum numero tempus et secula collocantur: quin, ut Filium actu semper extitisse neget, addit, *Filium, antequam actu gigneretur, potentia fuisse in Patre.* Denique sub finem protestatur, idem se credere et docere, quidquid præteritis temporibus crediderat et docuerat.

Tentata Nicenæ professionis *suppressio* ostenditur tum ex Historia *Eusebii Ecclesiastica*, quam studio maligno finit ante Concilium Nicaenum; tum ex vita Constantini, ubi, quamvis Concilii hujus meminerit, de sola Paschatis controversia loquitur, de causa Arii autem ac definita Filii Divini consubstantialitate altum silet: quæ enim in Chronico ejus Latino leguntur ad annum 323. de Nicena Synodo, et Ario damnato, addita fuisse ab Hieronymo, est exploratum. *Insectatio* defensorum fidei Nicaenæ præcipuorum; Athanasii, scilicet, Marcelli Ancyra, et Eustathii Antiocheni ostenditur ex Conciliabulo anno 333. Tyrii, anno 336. Constantinopoli, anno 340. Antiochiae celebratis, in quibus singulis singulis memorati ex ordine damnati fuerunt, agente potissimum *Eusebii*. *Adjumentum Hæreticis præstitum* non tantum ex his ipsis Conciliis, et constanti usque ad mortem cum Arianis conjunctione colligitur, sed et ex Conciliabulo Hieros., L. 4. *Eusebii* de vita Constantini c. 43. et seqq. magnificissime commendato, in quo anno 335. Arius, edita formula fidei aequivoca, ab *Eusebii* et aliis in Ecclesiam est receptus; et ex libris contra Marcellum (præcip. L. 1. c. 4.), ubi Narcissum Nerodiadém, Paulinum Tyrium, *Eusebium Nicomediensem, Asterium Sophistam*, et alios notorios Arianos inter Ecclesie Patres, ac fidei veræ Doctores refert et laudat.

*Prob. p. 3<sup>a</sup>.* Patres non tantum singuli, sed et in Conciliis congregati *Eusebium* pro Ariano et Hæretico habuerunt. Inter primos quidem ATHANASIUS L. de Syn. Nic. decretis n. 4. scribit, *Eusebium et alios qui simulato subscriperant Nicenæ fidei, tanquam ad vomitum regressos;* HILARIUS Libel. ad Constantinum n. 5. *commenta Ariana a duabus Eusebii inventa dicit;* EPIPHANIUS hæres. 68. n. 7. *Eusebium in Arianorum inanissimum dogma propensiissimum* scribit; HIERONYMUS vocat *Eusebium*, L. ad Ctesiphont. (al. ep. 133. n. 3.), Arianum, epist. 65. (al. 84.) ad Pammach. et Ocean. n. 2. *impietatis Arii apertissimum propagnatorem*, in Apol. contra Russin. L. 1. n. 8. *Arianæ factionis signiferum*, ibid. L. 2. n. 13. *Arianorum Principem.* Inter alios, Patres Ægyptii, fere centum numero, Alexandriae anno 330. congregati Synodica epistola (Labb. t. 2. p. 542. D.) *Eusebium studio Arianismi* damnasse Tyri Athanasium docent: Patres autem septimæ Synodi OEcumenicae ex *Eusebii* epistolis, altera ad Euphration., altera ad Constantiam, et Commentariis hominem *in reprobum sensum traditum, et aperte Arianice opinionis ac sententiae declarant et rejiciunt* (Labb. t. 7. p. 593. D). Plures alios vide apud Valesium in fronte Ecclesiastice Historie *Eusebii*.

306. *Nec dicas 1<sup>o</sup>.* *Eusebius* tum negando, tum affirmando etiam in libris post Conc. Nicaenum scriptis, ea refert de Verbo ac Filio, quæ illum ab Ariana hæresi immunem ostendunt. Nam 1<sup>o</sup>. L. 1. de Eccles. Theol. c. 9. negat Filium *ex non extantibus*, seu ex nihilo productum; c. 10. esse *creaturam* inficiatur. 2<sup>o</sup>. L. 1. Eccl. Theol. c. 8. et 20., et L. 2. c. 14. dicit, *solum Filium esse genitum, et hinc unigenitum; ex substantia, non ex Patris potentia genitum.*

R. Hæc omnia vafritiem EUSEBII et dolos cum Semiarianis, imo ipso Ario communes quidem detegunt, fidem autem sinceram et integrum non probant. Hinc

Ad 4<sup>um</sup>. D. *Eusebius* Filium negat *ex non extantibus* productum, et esse

creaturam absolute *N.* non absolute, sed comparate tantum ad cætera producta et creaturas *C.* Patet id ex cit. L. c. 9., ubi ait : *Ex quo merito reprehendi possunt ii, qui illum creaturam esse non veriti sunt dicere, e non existantibus, similiter ac creaturas reliquas, productum;* et L. 3. c. 2. (p. 150. D) : *Quod si dicat (Scriptura) conditum illum fuisse, non ita dixit, quasi vellet intelligi, eum de non esse ad esse processisse : nec quod, ad modum creaturarum reliquarum, de non ente producebatur.* Præterea sicutum hic ab EUSEBIO fieri, patet tum ex eo quod L. 4. Demonst. Evang. c. 1. affirmet, nulla jam ratione dici posse de nihilo esse quicquam eorum quæ sunt ; cuius rationem ibid. reddit : *Neque enim esse quidpiam potest ex eo quod ipsum non sit (ἐκ μὴ ὄντος).* Quomodo enim id quod non est, alteri ut sit, esse causa poterit ? Quibus verbis per τὸ ex nihilo intelligi posse ex nulla causa vel principio declarat : tum ex notione creaturæ, quæ ab Arianis statuebatur in eo, quod res aliqua mediate dumtaxat, interveniente scilicet Verbo, tanquam instrumento et administrō, producatur, cum e contra Filius dicatur ἀμέσως, seu sine intermedio, ac per se a Patre productus, ut EUSEBIUS loco nuper cit. c. 5. (p. 153.), et ATHANASIUS L. de Synodi Nic. Decret. n. 7. de ipso Ario refert.

*Ad 2<sup>um</sup>. D.* Filium dicit solum et unigenitum, quatenus solus sine interveniente Verbo, et per se immediate a Patre est productus, ut modo dictum *C.* quatenus est ejusdem naturæ, et consubstantialis *N.* Patrem enim ac Filium esse duas res, L. 1. contra Marcel. c. 4. p. 23. Filium etiam extra Patrem vivere et existere, hoc est, a Patris οὐσίᾳ extraneum et adventitium esse, L. 1. Eccles. Theol. nota Eusebius. Simili ratione exponitur genitus ex substantia, non autem ex potentia Patris; quanquam ex nuper dictis Filium ex Patris potentia extitisse, et ex ea factum idem statuerit.

307. Nec dicas 2<sup>o</sup>. Ibidem Filio tribuit omnipotentiam et infinitatem, imo et aeternitatem. Item non tantum L. 1. Eccles. Theol. Filium probat esse verum Deum ex eo quod Deus sit, quod natum est ex Deo, sicut quod est ex carne natum, est caro; sed etiam L. 2. c. 4. vocat eum αὐτόθεον, quæ vox duplē significationem habet; quarum altera Deum a se, et a nullo principio prodeuntem exprimit, et hinc Filio convenire nequit : altera Deum ipsamē substantia, non autem aliqua participatione tantum sive secundum partem, sive secundum affectionem designat, et hic Filio ab Eusebio tribuitur.

*R. Ad 1<sup>um</sup>. D.* Tribuit omnipotentiam, infinitatem, imo et aeternitatem his perfectionibus Patris æqualem *N.* inæqualem et minorem *C.* Atque hinc EUSEBIUS L. 2. Eccl. Theol. c. 23. duos in Trinitate honore pares negat, ibid. c. 7. Paternam gloriam excellentiorem gloria Filii affirmit, et rursus c. 28. Patrem inaccessiblem esse, nec ab ullo capi posse, Filium vero propinquorem esse rebus omnibus statuit. Aeternitatem quod attinet, non tantum pre-existentia Filii ante omnia secula, et substantiarum etiam intellectualium creationem, imo ante tempora aeterna accipit : nullibi autem dicti Filium Patri coeternum; quin et Patrem ante Filium existere, et ante ejus productionem subsistere, Filium vero ex Patris inexplicabili consilio ac potentia substantiam accepisse, L. 4. Demōstr. Evang. c. 3. et 4. enuntiat.

*Ad 2<sup>um</sup>. D.* Probat Filium esse verum Deum et αὐτόθεον ipsa et proprie-

*N.* repræsentative et in figura *C.* Disertis verbis Eusebius hæc enuntiat, dum L. 2. Eccl. Theol. c. 23. scribit : *Non tamen cunctandum est quin et ipsum Filium confiteamur esse Deum verum, cui quidem hoc tanquam in imagine conveniat. Porro quemadmodum, ubi Rex unus imperat, cuius imago ubique terrarum circumfertur, nemo prudens dixerit duos esse imperantes, sed unicum, qui in imagine ista colitur : eodem modo et Ecclesia Dei, unum venerari Deum edocta, hunc ipsum, et per Filium, quasi per imaginem adorare perseverat.* Quod additur de significacione vocis αὐτόθεος, mancum est ; resfat enim tertia ejus acceptio pro similitudine et imagine Dei, qua ratione CHRYSOSTOMUS hom. 2. in epist. ad Rom., et 27. in epist. ad Cor. hominem ob ferociam belluae, ob duritatem lapidi similem, αὐτοθηρίον et αὐτολίθον appellavit : et in hac significacione sicut Origenes, juxta plures Arianismi præformator, L. 6. contra Celsum, Christum vocavit αὐτοσοφίαν, ita Eusebius eum αὐτόθεον dixit.

308. Nec dicas 3<sup>o</sup>. THEODORETUS Hist. Eccl. L. 1. c. 11. et GELASIUS L. 2. de Synodo Nic. c. 1. (Labb. t. 2. p. 138) referunt, Eusebium Arianos refellere, et ab his defectionis a sua secta redargui. SOCRATES L. 1. Hist. Eccl. c. 21. non tantum asserit, Eusebium ab Arianismo immunem, sed et allata ipsius doctrina ostendit. PELAGIUS II. tandem, ep. 5. (ad Episc. Istriæ 3<sup>a</sup>.) n. 21. et GELASIUS L. de duab. natur. summi Pontifices Eusebium laudant, et inter Catholicos Scriptores referunt. Conf. Eusebius ab Ecclesia colitur ut sanctus; quod patet tum ex Martyrologiis Usuardi, Adonis et Notkeri ad diem 21. Junii, tum ex antiquo Codice MS. Ecclesiæ Parisiensis, et ex Breviario MS. Ecclesiæ Lemovicensis ; ergo.

R. Theodoreti et Gelasi Cyzic. narrationem veram esse, si intelligatur Eusebii defecatio ab Arianis rigidis ; falsam, si etiam Semarianos comprehendat : quanquam cum Eusebius, vivente Constantino, et Catholicum se simulare studuerit, et Nicaeno subscripterit, Arianorum odia incurrire potuit. Socratis studium vanum fuisse, et Æthiopi dealbando impensum, ex hactenus disputatis facile ostenditur. Pelagius Eusebium *inter Historicos honoratissimum*, non autem inter Christianos integrum fidem appellat. Autetorem libri de duabus naturis quod attinet, inter Criticos dubium est fueritne is GELASIUS Pontifex, an CYZICENUS, vel alius quicunque : illud certum, Gelasium Pontificem, in suo de Ecclesiasticis Scriptoribus decreto, Eusebii opera tanquam apocryphā rejecisse, nec eum pro Magistro Catholico agnoscisse : quare siquidem Gelasius Papa permittatur hujus libri auctor, Eusebium inter Catholicos Scriptores locum, non ex propria aestimatione, sed ex Eutychianorū opinione ac sensu, contra quos proinde illius auctoritate uti poterat, a Gelasio concessum statuere licet.

*Ad Conf. R. N. A.* Quamvis enim non affirmemus Eusebium suo in errore contabuisse, sed Deo judicium de ejus salute relinquamus ; negamus tamen ejus sanctitatem ab Ecclesia universa vindicatam : cum ex dictis constet, Come. Generale de ipsius fide male sensisse, ejusque nomen sub Pontificatu Gregorii XIII. e Fastis Ecclesiasticis fuerit expunctum. Ecclesiæ particularis judicium, et quorundam Scriptorum testimonium nec OEcumenice Synodi sententiae, nec nostris rationibus prævalit ; præsertim cum origo erroris de-

tegatur ab Eruditis, quorum aliqui hunc Eusebium pro Eusebio Samosateno, in Syria Episcopo et Martyre, quem Graeci die 20. Junii colunt, alii pro Eusebio Cæsareensi in Cappadocia S. Basili Præcessore, qui secundo Kalendas Junii in Martyrologio S. Hieronymi apud Dacherium et Papebrochium legitur, substitutum ex errore volunt.

309. *Dico III.* Certum videtur, S. BASILIU ab errore Pneumatomachorum fuisse immunem.

*Prob.* Ex scriptis et factis propriis, et ex testimonio alieno. Nam

1º. Præterquam quod hom. 24. n. 5. contra Sabell. dicat, *Trinitatem non manere Trinitatem, detracto Spiritu;* et in epist. 60. (al. 140. n. 2.) ubi docet, doctrinam de Spiritu sancto in Nicæno Concilio ideo tantum non fuisse definitam, quod nondum aperte contra eum fuerit bellum susceptum, addat, *nihil prorsus in Divina ac beata Trinitate creatum adinveniri:* speciatim Divinitatem Spiritus sancti adstruendam suscepit in L. de Spiritu sancto, ad Amphilochium, et in Libro 5. contra Eunomium; quem librum Sancto huic Erasimus, Cucus et alii Heterodoxi eripere frustra conantur, cum GREGORIUS NAZ., HIERONYMUS, THEODORETUS, et JOANNES DAMASC. illum tanquam Basilii opus laudent, et Isaac Casaubonus, Caveus cum aliis etiam Heterodoxis agnoscant.

2º. BASILI virtus et fides adeo aestimata fuit a plerisque, ut ex eremo in Cappadociam vocatus, etiam vivente adhuc Eusebio Episcopo, Ecclesiam Cæsareensem ibidem administraverit, et ab Athanasio ad visitandos Macedoniae et Achaiae Episcopatus, suscipiendoque in Ecclesiam Arianos reduces fuerit missus; inter quos dum Eustathium Sebastenum recepisset, et alias Apollinari communicasset, abjecit eos continuo, et scriptis etiam impugnavit, utprimum prioris simulationem, et posterioris heresin ex aliorum monito intellexit.

3º. Cum BASILI fama, quam ipse vivens pluribus scriptis defenderat, post ejus fata adhuc lacesseretur, praeter GREGORIUM NYSSENUM illius fratrem, THEODORUM ANTIOCHENUM ac SOPHONIUM, ut in Bibliotheca sua Photius ostendit Cod. 4. et 5., vindicavit eumdem Gregorius Naz. cuius ex Orat. 43. n. 69. locus sufficiet: *Nam quod alioquin melius quam quivis alii (Basilius) Spiritum sanctum Deum agnoscet, cum ex eo perspicue constat, quod et hoc sape de loco superiore, quoad per tempus licebat, prædicavit, et privatim apud eos a quibus interrogabatur, haud cunctanter confessus est: tum vero in suis ad me sermonibus apertius id demonstravit..... non simpliciter hoc affirmans, sed, quod ipsi antea perraro acciderat, sibi rem omnium maxime horrendam imprecatus, nempe ut ab ipso Spiritu sancto excideret, nisi cum Patre et Filio consubstantiale, et honore parem veneraretur.*

310. *Nec dicas.* BASILIUS multa heresios indicia præbuit; nam 1º. disserens in festo Eupsychii de Trinitate, reticuit Divinitatem Spiritus sancti. 2º. Hom. 17. (al. 1. in app. t. 2. p. 583. C.) Spiritum sanctum non ausus est dicere Deum, sed duntaxat *Spiritus Dei.* 3º. Hymnus glorificationis more Arii et Arianorum sepe utebatur hac formula: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* 4º. In duabus epistolis ad Apollinarem plures circa Trinitatem errores aperte protulit; unde 5º. ab Episc. Ancyra. impietas postu-

latus, et a religiosissimis viris Ponticæ solitudinis tanquam hereticus vitari coepit.

R. *Ad Arg. D.* Præbuit indicia heresios justa et probabilia N. vanæ, et nomini a meticulozis Catholicis, vel ab adversariis Hereticis exaggerata C. Hinc

*Ad 1º.* R. reticentiam illam de Spiritus sancti Divinitate, illa in Oratione, fuisse economiam contra hostes calumniarum studiosos usurpatam, ut BASILIUS ipse in epist. 33. (al. 71.), et Gregorius Naz. in epist. 26. (al. 58.) demonstrant; non verò ignoriam, aut fidei defectum; cum eam circumspectionem Basilius alibi non usurparit, ut ex probationibus manifestum est.

*Ad 2º.* R. Quod loc. cit. BASILIUS non dixit, enumavit in Libro ad Amphil. et LL. cont. Eunomium, item ep. 141. (al. 8. n. 4.) ubi ait: *Confidendum est, Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum.* Unde Basilium id profiteri ausum non fuisse, negatur. Quod vero Spiritum sanctum dixerit Spiritum Dei, et caste dixit, et more Apostoli Pauli ac Veterum plerorumque fecit, qui in hac elocutione usurpabant Dei nomen notionaliter, accipiendo scilicet Deum pro Patre, ut CHYRSOST. hom. 5. n. 3. de Incompreh. Dei nat. animadverxit.

*Ad 3º.* R. Criminationem istam luculente refutavit BASILIUS in L. de Spiritu sancto ad Amphiloch. c. 23. seqq. ubi ex Scripturæ auctoritate, Apostolica traditione, et Patrum exemplo ostendit, ternam glorificationis formulam et rectam et usitatam esse in Ecclesia; nempe illam objectam, alteram hanc: *Gloria Patri cum Filio ipsis et Spiritu sancto,* postremam communem: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Addit præterea, in accusata formula diversitate particularum eloquentius exponi Personarum originem: ac tandem communem formulam acceptari a se, probarique declarat; ea ratione latissimum se inter et Arianos discrimen ostendens.

*Ad 4º.* R. BASILIO has epistolas falso imputatas, et ab Athanasio Ancyrano esse suppositas, ut ipse Basilius in epist. 59. (al. 129.) contestatur.

*Ad 5º.* R. Quæ fides sit habenda Athanasio Ancyrano, liquet ex modo dictis. Monachis Ponticis, abstensa suspicione, satisfecit abunde BASILIUS scripta ad eos epistola 73. (al. 226.) et missi libello de vera ac pia fide, quibus declaravit, quantum abhorreret a novitate, cuius ab adversariis insimulabatur.

#### QUÆRES II. AN LIBERIUS PAPA FUERIT LAPSUM IN HERESIN ARIANAM?

311. *Nota I.* LIBERIUS et a Pontificatus sui initii, quem anno 352. suscepit, et postremis viis sue temporibus, quam anno 367. beata morte clausit, omnium ex calculo strenuum se fidei Nicænae et S. ATHANASII vindicem præbuit. Nam et anno 355. Berœam Thraciæ in exilium potius deportari sustinuit, quam Constantio geminis suis studiis adversa Mediolani imperanti concederet: et Urbi ac Sedi Pontificiæ anno 358. redditus, perstitit in fide fortiter, neque cum Ariminensi postea Concilio commune quidpiam habuit. An vero exilii sui tempore, tum ærumnis fractus, tum redeundi desiderio superatus, nihil a fide et fortitudine sua alienum egerit, hic inquiritur. Duplex hoc in arguento respondendi ratio se hodie offert; altera, quam

olim indicavit Cardinalis Perrobinus, nuper autem Corgneus Ecclesiae Sue-  
sionensis Canonicus singulari dissertatione uberiori exposuit, negat omnino  
lapsum Liberii quemcumque; altera communior, et hactenus perulgata eo  
descendisse Pontificem concedit, ut Athanasium damnaret, communicaret  
cum Semiarianis, et Sirmensi fidei formulæ subscriberet. Non eumdem  
tamen in lapsu LIBERII defectum agnoscunt sententiae postremæ sectatores.  
Alii enim, præsertim vero Heterodoxi, a fide defecisse Pontificem, et heresi  
Arianæ assensisse contendunt; quod idem nonnulli Catholicorum statunt,  
sed una excipientes, hunc errorem fuisse hominis privati, minime autem  
Pontificis, et e cathedra assertum: alii LIBERIUM in fortitudine quidem et  
œconomia, non autem in fide peccasse volunt. Discriminis hujus ratio maxime  
provenit a designatione formulæ Sirmensis, cui Pontificem scripsisse aut hi  
aut illi contendunt. Unde

312. Nota II. Inter 14. fidei formulæ, quas Arianæ ad obliterandam fidei  
Nicænæ regulam ab anno 311. per 19. annos subsequentes, diversis in Syno-  
dis ediderunt, tres Sirmii, in oppido olim Pannonie celebratissimo, fuerunt  
conditæ. 1<sup>a</sup>. anno 331. contra Photinum græce ab Episcopis, ut VIGILIES TAP-  
SENS. L. 5. contra Eutych. ait, ex toto Oriente congregatis, quos HILARIUS in  
Fragment. 6. n. 7. sive enumerat, sive præcipios nominat, Narcissum,  
Theodorum, Basilium, Eudoxium, Demophilum, Cecropium, Silvanum,  
Ursacium, Valentem, Evagrium, Hyrenium, Exuperantium, Terentianum,  
Bassum, Gaudentium, Macedonium, Marthum, Actium, Julium, Surinum,  
Simplicium et Juniorem. Ea formula, quam ceu Catholicam HILARIUS L. de  
Synodis n. 38. exponit, ATHANASII autem L. de Synod. n. 27. inter Arianas  
Ectheses refert, complectitur symbolum fidei una cum 27. Anathematismis:  
in illo sola reticentia τοῦ ἐμοντίου, in his etiam phrases et propositiones  
Semiarianæ notantur. 2<sup>a</sup>. anno 337. latine primum edita est a paucis Occi-  
dentalibus, Valente scilicet, Ursacio et Germinio, quibus Osius etiam et Pot-  
MIUS ab Hilario adduntur. In hac, præterquam quod οὐσίας, ἐμοντίου æque ac  
ἐμοντίου mentio fieri prohibetur, Pater honore, dignitate, Deitate, atque  
adeo ipso nomine paterno major filio..... Filius vero Patri, cum omnibus,  
quæ illi Pater subjecit, subjectus dicitur (Labb. t. 2. p. 786): eaque pro-  
pterea tanquam pure Ariana a Basilio in Concilio Aneyrano damnata, et a  
Constantio suppressa fuit. 3<sup>a</sup>. anno 339. similiter a quibusdam, ad Constantium pro  
habendo Seleuciae et Arimini Concilio collectis, præsertim Marco  
Arethusio, Basilio Aneyrano, Georgio Alexandrino, Valente et Ursacio con-  
dita fuit; in qua prior prohibitio quidem repetitur, Filius tamen per omnia  
Patri similis docetur (Labb. t. 2. p. 788.)

313. Dico I. LIBERIUS probabiliter nunquam fuit lapsus.

Prob. Id probabiliter negatur, cum quo in historia Liberi nec causa redi-  
tus in Urbem, nec comparatio Romanorum redeuentem excipientum, nec  
Catholicorum cum restituto communio, nec Arianorum post impetratam  
restitutionem agendi ratio potest verosimiliter componi: sed eum lapsu  
Liberi hæc quatuor verosimiliter componi nequeunt; ergo.

Prob. min. p. 1<sup>a</sup>. Si LIBERIUS fuisset lapsus, hic lapsus foret præcipua  
reditus in Urbem causa; tum quia e contrario propter suam in fide constan-

tiam fuit missus in exilium: tum quia oblata haec spe a Demophilo sollicitatus, et ea inescatus defecisse dicitur: sed hoc imprimis dubium est, ut patet ex RUFINO, qui Lib. 1. Histor. c. 27. ita scribit: *Liberius Urbis Romanae Episcopus, Constantio vivente, regressus est: sed utrum, quod acquiecerit voluntati sue, adscribendum, an ad Populi Romani gratiam, a quo proficiens fuerit exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo: deinde falsum declaratur ab aliis aliam causam assignantibus; cum SULPICIUS SEVERUS L. 2. Hist. sacr. c. 39. scribat: Sed Liberius paulo post Urbi redditur ob seditiones Romanas, et Socrates L. 2. Histor. c. 37. dicat: Liberius autem non multo post ab exilio revocatus, sedem Episcopatus propterea recuperavit, quod Populus Romanus seditione confusa Felicem Ecclesia illa ejecerat. Imperatorque ipse etiam invito animo illis consenserat; quod idem verbosius THEODORETUS L. 2. Hist. c. 47., et CASSIODORUS Histor. tripart. L. 3. c. 18. enarrant: denique repugnat historiæ, ex qua constat LIBERIUM anno fere integro adhuc hæsisse in exilio; nec cogitatum ab Imperatore de ejus reditu, nisi post Romanam postulationem; nec Romanum dimissum antequam collectioni cuidam Sirmensis et Antiochenorum Conciliorum Sirmii subscriperit. Ergo lapsus LIBERII non fuit causa reditus nec cum illa verosimiliter componitur.*

Prob. p. 2<sup>a</sup>. Duo ex historia, adversariis etiam probata, habentur certa:  
1<sup>a</sup>. Populum et Clerum Romanum tempore exilii Liberi mansisse parti-  
bus Catholicis penitus addictum, ab Arianis autem aversum, adeo ut a FELICE  
sive intruso, sive rite subsitulo in sacris abstinerint, ex quo ille cum  
Arianis communicaverat: 2<sup>a</sup>. Eudem populum non tantum extorsisse  
reditum LIBERI, sed et eumdem summo cum gudio excepsisse, Felice ejecto:  
sed hoc adversus Arianos et Felicem odium, hoc erga fidem et LIBERIUM stu-  
dium credibile non est, si Romanis, ut potuit, cognitus fuit LIBERII lapsus,  
quo et ATHANASII damnasse, et ARIANIS communicasse, et formulæ Arianæ  
subscrivisse dicitur; ergo lapsus LIBERII cum comparatione Romanorum  
conciliari nequit.

Prob. p. 3<sup>a</sup>. Certum est ex SEVERO SULPICIUS L. 2. c. 22., SOCRATE L. 4. c. 12.  
THEODORETO L. 2. c. 22.. LIBERIUM post reditum ab exilio communionem  
habuisse ab Episcopis reliquis; quin et ab Athanasio et Alexandrina Synodo  
rogatum confirmationem decretorum: ex iisdem etiam et disciplina Ecclesiastica certum est, lapsus sive in fide, sive in œconomia, præsertim heresis  
suspicione afflatum, non fuisse ad communionem receptum, nisi datis penitentiæ  
aut retractationis signis, ut maxime ex historia Mediolanensis et Arimini-  
ensis Synodi coœva constat: adeoque si LIBERIUS fuisset lapsus vel solo  
defectu *fortitudinis*, cum interpretative saltem pro Haeretico haberetur,  
omnino retractationis indicia eo manifestiora præbere debuerat, quo gra-  
vius erat triplex in eo peccatum, et quo confidentius in sua ad Italos epistola  
ab Ariminensibus reparationem ipse exigebat. Sed nullum hujus penitentiæ  
aut retractationis vestigium occurrit sive in propriis apud HILAR. in Fragn.  
litteris, sive in coœvis ATHANASI et HILARI scriptis, sive in sequentium Socrati-  
TIS, SULPICIUS, THEODORETI vel SOZOMENI historiis; ergo.

Prob. p. 4<sup>a</sup>. Ex omnium Scriptorum silentio, et DAMASI apud Theodore-  
tum L. 2. c. 22. asserto liquet, LIBERIUM nec per se, nec per Legatum inter-  
fuisse aut consensisse Concilio Ariminensi, ad quod, teste Socrate L. 4. c. 12.,